



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

797. An, & qualiter super his omnibus conficeindum à Notario Instrumentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

stat de certitudine personæ ut AA. in l. ult. c. de hered. instit. Paris. nu. 55. uti nec error in officio & dignitate; cum ex circumstantiis constat de identitate personæ, nec error debet. Paris. n. 54. ex Sarn. ad reg. de Annali. q. 31.

*Quæstio 796. An, & qualiter insuper necesse, affigi exemplar omnium eorum, quæ in publicatione dicta, ad varias Ecclesiæ?*

**R**espondeo primò: Necessè est, tale exemplar affigi valvis, seu portæ majoris Ecclesiæ, & hoc, ut innotescat facta resignatio, & provisio non solum iis, qui interfuerunt publicationi, sed & aliis ad Ecclesiam venturis. Garc. p. 11. c. 3. nu. 295. Paris. cit. q. 6. nu. 56. juxta quod expressè dicitur in Constit. Gregor.

2. Respondeo secundò: De stylo exemplar illud ibidem relinquatur per diem, vel etiam aliquot dies; necesse tamen non est, relinquere ibi per plures dies, sed sufficit affigere, & ibi relinquere. Paris. cit. n. 56. Habetque praxis, ut fiat in uno folio copia literarum collationata; nec requiritur, ut hoc exemplar sit authenticum; cum id in dicta Constitutione non exprimitur. Paris. *ibid.* Super quo exemplari valvis Ecclesiæ affixo testatur Paris. se vidisse, quandoque appositam parvam chartam, in qua materno sermone exprimebatur nomen Resignantis, Resignatarii, & beneficii resignati, quod sibi admodum placuisse ait.

*Quæstio 797. An, & qualiter super his omnibus consiciendum à Notario instrumentum?*

**R**espondeo primò: Necessè esse consiciendum super his omnibus à Notario ad hoc rogato instrumentum. Paris. cit. q. 6. n. 60. & 61.

2. Respondeo secundò: Ut satisfactum dictæ Constit. Gregorianæ censeatur, debere in hoc publicationis instrumento testari Notarium de facta affixione; nec sufficere, Notarium in eo dicere, legi & publicavi, absque eo, quòd mentionem faciat de affixione, tanquam verius tueretur Paris. nu. 58. sic tenent à Rota dicens, in *Jacensi Vicaria*. 15. Jun. 1590. ed quòd pro forma tradatur, ut constet de hac affixione, nec colligi ea possit ex illius verbis: *legi & publicavi*. subdit tamen Paris. n. 59. Satisfactum videri Constit. Gregor. quo ad hoc, si Notarius dixisset: *Legi & publicavi juxta formam Constitutionis Gregorii XIII.* ed quòd tunc præsumatur pro affixione. Debet insuper hoc instrumentum continere qualitates ceteras omnes in dicta Constitutione requisitas. Paris. cit. n. 61. juxta mox subjicienda.

3. Respondeo tertio: Debet instrumentum hoc conscribi cum interventu duorum testium; quando enim instrumentum, quod producitur ad probandam publicationem, non est in forma probante, v. g. quia caret testibus, non probat, & ex eo non constat de publicatione. Paris. n. 60. juncto n. 66. Proinde non sufficit, ut in eo dicatur, factam fuisse publicationem in præsentia multorum testium in testium fide dignorum; sed requiritur, ut nomina testium in instrumento exprimentur. Paris. n. 67. qui etiam n. 68. addit, hoc procedere, etiam si duo Notarii fuerint rogati; cum ex hoc non suppleatur numerus testium.

4. Respondeo quarto: dictum instrumentum Notarius à tergo literarum Apostolicarum exten-

P. Leuren, Fori Benef. Tom. III,

dere consuevit hac ferè forma, ut Paris. n. 62. *fidem facio, retrospectas literas Apostolicas expeditas in favorem N. juxta earum seriem, & tenorem, cum nominibus & cognominibus Resignantis & Resignatarii, ac denominatione, & qualitate beneficii clara & intelligibili voce sub data 28. Nov. 1699. in ipsa Ecclesia, ac in Cathedrali, dum frequens populus ad missarum solennia convenerat, publicasse, easque manibus tenuisse, ostendisse, & legisse, earumque exemplar collationatum affixum ibi fuisse relictum, & stetit per aliquod tempus, aliisque & similia facta fuisse juxta formam traditam per Gregorium 13. in Constit. sua de publicandis. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem, Ego &c. præsentibus. N. N. Quamvis Paris. n. 63. dicat, Rotam sustinuisse, quandoque instrumenta, in quibus non ita exactè referebantur dictæ qualitates, sed solum dicebatur: juxta Constit. Gregor. ed quòd semper relatio intelligatur facta cum omnibus suis qualitatibus; & circa publicationem Notario sit credendum, ut Achill. *de cit.* 10. de citatione.*

*Quæstio 798. An, si literæ resignationis sint nulliter expeditæ ob subreptionem vel obreptionem, & Resignatarius obtineat gratiam perinde valere, & postea publicet predictas literas juxta formam alias præscriptam, absque eo, quòd publicentur dictæ literæ revalidatorie, publicatio sit nulla, & consequenter etiam Resignatio?*

**R**espondeo: Tametsi videri posset, esse invalidam; ed quòd Constitutio statuens publicationem faciendam cum literis, intelligenda sit de literis validis; cum invalidæ in nulla sint confirmatione, nec ullum effectum producere possint. Item, quòd per publicationem cum literis invalidis non occurratur fraudibus, ad quas avertendas instituta publicatio, dum occurrente morte Resignatarii, Resignans posset ostendere nullitatem resignationis, & docere de interesse Resignatarii, & sic decipi Ordinarius, dum literæ istæ revalidatorie non sunt publicatæ. Nihilominus non obstantibus hisce & similibus valere publicationem, tenet Paris. l. 11. q. 7. n. 88. sic resolutum dicens à Rota in *Mediolanens. Prepositura*. 30. Octob. 1589. ed quòd publicatio talis fuit facta cum literis eo tempore, quo erant convalidatæ per gratiam perinde valere, quæ, ut Rebuff. in *pr. rit. de perinde valere*, habet oculos retro, & revalidat omnia ab initio cum omnibus inde secutis, Quinimò tenet Paris. n. 89. si quis post publicationem jam factam obtinuerit gratiam perinde valere, sufficere adhuc illam publicationem, & non esse opus aliâ, quemadmodum, si Papa concessisset alicui privilegium testandi, hæc gratia facit, ut testamentum sustineatur jam factum, licet nulliter, ita ut valeat ipso jure absque nova declaratione, ut Jason. in l. quòd minus. ff. de summiis. nu. 129. Castrensis. in l. si quis filio. §. irritum. num. 4. de injuri. rupto irritò facto testam. &c. Ad opposita etiam breviter respondet Paris. n. 91. literas stante tali gratiâ perinde valere, esse validas, & vi illius gratiæ validari ab initio.

*Quæstio 799. An publicatio hæc faciendâ à Resignatario fieri possit per Procuratorem ab eo constitutum?*

**R**espondeo affirmativè, Paris. cit. q. 6. n. 122. & 123. qui enim per alium facit, per seipsum facit.

Kk 2

care